

STAPHYLIS.
2 Tomis.
mit:

Nf. 27.



42
44

Positionum Metaphysicarum
DECAS,

Quam

SUB PRÆSIDIO

CHRISTIANI DO-
NATI,
Log. & Met. Prof. P.

Examinandam publicè proponit

M. POLYCARPUS LEYSERUS,
Sang. Thur.

Ad D. 22. Jun. A. MDC LXXXIX.

aq.

Horis, locoque consuetis.

WITTENBERGÆ,
Typis CHRISTIANI FINCELII.

No. 41

acc 43





Cum Deo!

POSITIO I.

UBietas, quæ haud inepte quibusdam recentioribus philosophis in numero attributorum entis simplicium ponitur, infert (pro modo nostro concipiendi imperfecto) formaliter quandam relationem ad spatium, seu (ut alii appellare malunt) ubi.

II.

Posito autem spatium, in quo corpus est, aliquid positivi esse (ceu volunt communiter) & prærequisitum à corpore ad ipsius ad essentiam, & in eodem vicissim subjective radicatum (quod quidem conciliatu valde difficile:) non tamen istiusmodi spatium est pro quolibet ente simpliciter necessarium: quin potest etiam ibi ens adesse, ubi præter ipsum nihil est.

III.

Cujus generis cum proinde spatia quæ vocant, extramundana sint, (id est, vacuitas, seu inanitas illa extramundana immensa, in qua actu nulla dantur corpora, dari tamen & existere non repugnat;) idcirco Deum in iisdem esse, dicere nil prohibet; utut non alia quidem ratione, nisi tanquam sine quibus ubiquitas, seu adessentia Dei infinita nequeat satis pro intellectus nostri infirmitate concipi.

IV. Quod

IV.

Quod cum minus advertisset Petrus Gassendus, ingenio pariter ac doctrina præstantissimus vir, nimium fusus suo iudicio, præter rem spatium (universè sumptum,) ens verum ac reale, à substantia & accidente diversum, idq; incorporeum, ac in infinitum sese diffundens, asserit; quod una cum tempore, in divisione entis, substantiæ & accidenti, ceu membris primariis, sit adjiciendum; dividendumque adeo ens in substantiam, & accidens, & locum (seu spatium) in quo omnes substantiæ, omniaque accidentia sint, & tempus, quo omnis substantia, omniaque accidentia durent. Sect. I. Phys. L. II, c. I. pag. 182.

V.

Et sicut porro ens durare intrinsece etiam absque duratione extrinseca potest, ad quam illius intrinseca duratio referatur: ita nec causæ quicquam dictus auctor habuit, quam obrem istiusmodi tempus extrinsecum, intrinsecæ Dei æternitati revera & adæquate coexistens, quod ibi asserit, confingeret.

VI.

Nec laudem subtilitatis, quam apud suos est consecutus, Rodericus de Arriaga hoc ipso tuetur, quando durationem in rebus creatis realiter ab earum existentia differre, ex eo præsertim arguit, quod istæ sint à se invicem realiter separabiles. Nec enim nisi tum realis separabilitas distinctionis realis nota atque indicium est, quando vel utrumque vel saltem alterutrum separabilium, post factam separationem, integrum superstes manet, altero penitus destructo.

VII.

Etsi qui causam per accidens veram causam esse inficiantur, nihil falsi dicant pro hujus suæ assertionis, quam adferunt, explicatione: ipsa tamen hæc eorum explicatio & à philosophia, & ab usu omni est aliena. Ut propterea merito, illa assertionem repudiata, acceptetur opposita ea, qua causa per accidens (pro vi vocum nativa accepta) vera causa esse docetur.

(IX. Vix

IIX.


Vix tam simile ovum ovo est, quam Fato Stoico istud Philippi à SS. Trinitate (ex Thoma P. I. qv. XIX. art. IIX. haustum, aliisque bene multis arreptum) dogma: summam efficaciam, & omnipotentiam divinae voluntatis, ait, esse primam radicem, & primam causam efficientem contingentiae & necessitatis in rebus naturalibus, quia absolutè, & efficaci decreto praconstituit, quod ex talibus causis contingentibus sequerentur tales effectus contingentes, & ex causis necessariis effectus necessarii. Haud obstantibus iis, quæ statim subjicit: proximam autem, inquit, & formalem rationem contingentiae sumi ex causa defectibili & impedibili per concursum alterius causa: necessitatis verò esse indefectibilitatem & inimpedibilitatem ejusdem causa proxima. I. Sec. Summ. Philos. qv. IX. artic. III. p. 572.


IX.

Ut ut demus Cartesio, corpus substantiam extensam, & spiritum, cogitantem esse: minimè tamen admittimus, hanc primam corporis, atque spiritus differentiam, esse, unde petenda sit ejus definitio.


X.

Accidens etsi realiter differat à substantia: non tamen vel esse (per ullam potentiam) absque substantia potest, vel è substantia una transire in aliam.











FF III

ULB Halle

003 266 753

3





A

VD77

Reise







42
44

Positionum Metaphysicarum
DECAS,

Quam

SUB PRÆSIDIO

CHRISTIANI DO-
NATI,

Log. & Met. Prof. P.

Examinandam publicè proponit

M. POLYCARPUS LEYSERUS,

Sang. Thur.

Ad D. 22. Jun. A. MDC LXXXIX. aq.

Horis, locoque consuetis.

WITTENBERGÆ,
Typis CHRISTIANI FINCELII.

No. 41

acc 43

